DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Martis quintâ menſis Maii, anno Domini M. DCC. LXXII.

M. JOANNE-BAPTISTA MUNIER,
Conſiliario Medico Regis ordinario & Domûs Regiæ Invalidorum, Doctore Medico, Præſide.

An vulneribus unicum linteum carptum?

I.



AB uno ſimplicique medio exquiſitiſſimos elicere effectus ſummum ſæpe tum in cæteris artibus, tum in Medicinâ peritiæ faſtigium. O anguſtum humani captum ingenii! qui imperitus peritum, peritus imperitum ſe exiſtimat; quò doctior aliquis, eò plura ſe latere ſcientiæ penetrabilia; quò peritior, eò plures ſupereſſe naturæ induſtrias artem fugientes detegit. En præ manibus habes noſtri arcanum remedii: jactent alii præſtantem medicaminum ſuorum efficaciam, hæc noſtri vis propria nullâ vi ſuâ præpollere. Miraris? attende ad cauſam remediorum efficacem. Quænam ea ſit alia quàm eximia illa vis à ſummo numine ſingulis corporibus, ſingulis corporum partibus inſita, in varios acta motus, ab eo ſolo in brutis, ab animâ etiam cogitante in homine directa, vivi corporis organum, Natura. Nec enim fefellit nec fallitur in eâ re germanæ Medicinæ parens Hippocrates. *Verus morborum medicus Natura.* Nùm etenim ſanat ipſe per ſe vir Medicus, nùm ſanant medicamenta, varia ac contraria eumdem ſæpiſſime, eadem varium ac contrarium effectum promoventia? Minime: ſanat, ſi vires Deus addiderit, ſi apta interdùm Medicinæ auxilia præſtiterint homines, ingeſta propriis organis recipiens, tùm calore ingenito, adminiſtriſque ſpiritibus & variis intra ſolida elaboratis humoribus coquens, digerens, bona deinde

ſecernens, mala excernens, Natura. Quid proſit morituro remedium præſtantiſſimum, ſi ſanare Natura deneget? Hujus noſce potentiam, hujus varios huc & illuc effectus ſcrutare, hujus veſtigia ſequere ſemper miniſtrando, nunquam compellendo, aut perturbando; eris mox tandem perfectus tùm in internis, tum in externis medicus; erit tibi eximiâ interdum arte compoſita, ſed ſæpiſſime ſimplex, brevis, delecta tamen medicamentorum ſuppellex. Quod de omnibus morbis externis dictum, id de vulneribus potiſſimum intellige: eorum etenim tota curatio tota Naturæ opus. Vulnus ſolutio partium mollium ab inſtrumento externo facta. In eo igitur totus volvitur curationis cardo ut partes à ſe invicem disjunctæ jungantur, agglutinentur. Glutinis materiem præbebit idem qui & nutritionis: nutrit ſanguis; ergo & partes conglutinat. Is ſcilicet à finibus vaſorum intrà parietes vulneris reptantium, necnon & à carnium poroſitatibus hinc inde roris inſtar reſudat, à naturali calore partis elaboratur, excoquitur, denſatur, fit viſcidior, jam pus eſt, mox caro; tandem nullum vulneris veſtigium remanet. Illud itaque quò unice tendit curatio, ut partes agglutinentur, à naturâ ſolâ perficitur.

II.

SED priùſquam hunc natura finem attingat, plura ſunt ei propellenda obſtacula. Ubi vulneratur pars aliqua corporis, ſtatim atque carnes ſolvuntur, ſimul vaſa rumpuntur, ſpiritus diſtrahuntur, intra corpus aëri, inſolito inimicoque advenæ, patet aditus; inde hæmorragia, dolor, ſordium interdum aut cum inſtrumento, aut cùm aëre intromiſſio, roboris ac caloris nativi partis jactura, & ex eâ jacturâ carnium imbecillitas, laxitas, humiditas; ſeri tenuis, acris, luteo-nigricantis ſcaturigo, malignorum hinc inde totius corporis humorum ad vulnus appulſus, quæ mala dum à repetitis deligationibus foventur ac renovantur, puris impeditur probi generatio, nec carnes agglutinari, nec cutis ora ad ſe invicem ſinuntur accedere. Hos effectus potiùs quàm cauſam attendentes medici antiqui multiplici medicamentorum apparatu vulneris ſanationem aggrediebantur, nec bene curatum arbitrabantur ni viciſſim aſtringentia, tum abſtergentia, deinde ſuppurantia, ſarcotica, cicatrizantia adhibuiſſent medicamenta. Quoties ea mutabant, toties vulnus exacerbabatur, cauſæ ſymptomatum recrudeſcebant, natura in ſuo molimine conturbabatur & curatio arte incæpta, arte in longum tempus producebatur.

Eâ proceſſere methodo Medici antiqui priores, Galenicique deinde, tum Galeni veſtigiis inſiſtentes Arabici, dum tandem novum medicinæ lumen afferret abditas perſcrutata naturæ latebras Chymia; Paracelſus aliique hujus generis ſub Mumiæ, Balſami nativi, Archei, ſpirituum nomine naturam obvelantes huic primum dedere in vulnerum curatione locum: nondum tamen frequentiorum deligationum jugum excuſſerant. Hiſce circiter temporibus Medicus in Italia

insignis Magatus pretiosissimum circa hunc finem opus conscripsit & invictis rationibus raræ vulnerum medicationis præstantiam exhibuit; imò solo vulneris tegumento, apposito medicamento quocumque, interdum etiam contrario, vulnera sanari testatus est, quanquam in vulneribus curæ difficilioris non parum nocuerit hæc proprii pro vulnerati temperamento, pro vulneris statu, medicamenti inscitia: enim vero hanc medicamentorum varietatem ignorare medicum dedecet, quæ citiorem sæpe afferunt medicinam, & in vulneribus periculosioribus momenti sunt quam maximi. In simplicioribus vero quæ ad obvium quemque pertinent præstantius nullum reperiri aperte pronuntiavit celeberrimus Sharp quam *linteum carptum.* Hanc denique methodum repetitâ experientiâ comprobavit illustris Chirurgorum Parisiensium Academia.

Nec vero alia fere est quam sponte indigitaverat natura, curatio. Primis mundi nascentis incunabulis, quo tempore nondum terram infestaverat vitiorum cohors, nondum sanguinem exagitaverant iracunda, dissolverant morosa animi pathemata, nondum plethoricos invexerat morbos carnium ingluvies, melancholicos otium plusquam fœmininum, solus fere morbus vulnera; medicus suus sibi quisque. Quod sors obtulerat, quod experientia confirmaverat, remedium arripiebat. Sic herba proximo lapide contusa, sæpe obvia quæque, subito vulneri apposita, ibique dum sponte caderet relicta, pro omni variorum medicamentorum suppellectile adhibebatur, totamque sola perficiebat curationem. Vis penetrare propiam remedii vim & efficaciam? herbam quamcumque disseca, contunde: præter emanantem interdum succum astringentem, balzamicum, interdum fere nullum, habebis ex contusis herbæ fibris quamdam *linamenti carpti* speciem, habebis quemadmodum ex *linteo carpto* tegumentum molle solum curando vulneri idoneum,

III.

QUA etenim ratione tot adimplere vices astringentis, abstergentis, suppurantis, sarcotici, cicatrizantis medicamenti, unum idemque & adeò simplex poterit remedium? Intelligenti percipere non arduum. Ex dictis ipsa per se sanat natura: sed nonnihil in exequendo opere haberet impedimenti. Quid igitur Medico faciendum superest? Avertenda diligenter hæc impedimenta. Jam verò prima & maxima mali labes ab aëre externo. Hic quidem per se totus humoribus non noxius. Imo in eo ipso vita constituitur; sed quantâ perficitur elaboratione prius quàm ejus vapor subtilis in nostram transeat substantiam! primò per multiplices, conicos, exilissimos tracheæ arteriæ ac venæ deinde pulmonalis ramulos quasi percolatus, tum pulmonum cordisque præcipue quod penetrat calore attenuatus, à suis sordibus, crassiorique humiditate ope expirationis repurgatus, quintam veluti suî essentiam sanguini communicat. Hæ subeundæ sunt aëri præparationes, priusquàm aditus illi intra corpus

concedatur. Sin aliter, Naturæ exurgit inimicus infenſiſſimus. Ideo contra ejus injurias denſa circa corpus cutis extenditur, vaporque præterea tranſpirationis undequaque exhalat, quo mediante vis aëris intempeſtiva ac noxia corrigatur nec ipſam etiam lædat cutis ſuperficiem. Si enim vapor ille per ventum, per ventilatorium ex aliquâ cutis ſuperficie diſcutiatur, ſtatim moleſta percipitur ſenſatio, cutis aſtringuntur pori, humor tranſpiratorius intùs repercutitur, & variæ emanant catharri ſeu quod idem eſt fluxionis, rheumatis, rheumatiſmi ſpecies. Si adeo noxius aër cutis tantum ſuperficiei appellens immediate, quantò majora corpori damna inferet, ſi intra carnes, intra aperta ſanguinis vaſa pleno recipiatur alveo? Ab ipſo calor naturalis partis deperditur, heterogeneæque ac nocivæ particulæ, cum aëre una coëuntes vulneri vim addunt veneniferam. Mirum forſan quod ignem promovens ac nutriens aër externus calorem naturalem immediate applicitus extinguat: faciliùs intelliget qui phlogiſtici ab igne, aëris puri ac tenuis ab impuro & craſſo diſtinctionem percipit: cæterum ſi minorem rationibus fidem habeas, crede obſervationi: quas arbori noxas inferet aëris immediata ſublato cortice applicatio! quàm cito putredinem pariet aëris in ovum teſtâ læsâ aditus patefactus! quam diſpar erit fracturæ cum vulnere, fracturæ ſine vulnere exitus!

Hunc igitur hoſtem attente remove, quantò celerior ac certior erit curatio! id vero quâ ratione faciliùs evinces quam ope *lintei* mollis *carpti*, cujus laxam ſubſtantiam facile ſanguis affluens penetrat & glutinis quamdam ſpeciem efficit, quo, & ipſius cohibetur effluxus, & aditus aëri fit omninò impervius.

Ex eo fonte ſcaturiunt aliæ fere omnes ſymptomatum ſpecies vulnus comitantes. Si, enim pars vulnerata ab ambienti aëre defenditur, calor naturalis fovetur, cum calore partium augetur robur, carnes ſuo pollentes robore ac tono minorem elàbi ſinunt ſanguinis copiam, parciùs appellunt humores vicini, ſerumque puris probi generationem remorans ſupprimitur, eo evaneſcente pretioſum extillatur puris balſamum, ſi quid putridi humoris in vulnere reperiatur, cum eo conſociatur & ad ſuam revocat indolem; cutis fungi emergunt, nec tamen altiùs eminent, ac luxuriant ob vim blandam *lintei carpti* mollis inſtar pulvinaris comprimentem. Igitur hoc ſolo vulneris contegendi & fovendi munere humoremque ſimul combibendi & aſtringit & abſtergit & ſuppurationem promovet & carnes generat ac curationem mox denique cicatrice quaſi appoſito ſigillo confirmat.

I V.

NUNC igitur dubitas de modo remedii adhibendi ? Simplex intelligatur vulnus : ſi enim, oſſis fractura, viſcerum læſio accedat ſi vulnus, ſit vetus & jam ulceris naturam uſurpans, ſi malignum, &c. jam indicatio multiplex multiplicem requirit medicinam : ſi vero ſimplex partium mollium ſolutio recens, primo vulnus aquâ, vino calido, &c. expurga, ſanguinem ſine quantum ſatis eſt effluere, partes juxta optimum ſitum conjunge nec te vulneris moveat amplitudo, ſuturæ vices tutius ac jucundius adimplebit tela glutinata. Tum *linteum carptum* impone, faſciis vulnus ita contine ut nec laxiùs, nec ſtrictiùs comprimatur. Cætera jam naturæ permitte.

Linteum vero *carptum* num ſiccum, num madidum præſtat ? Nunc hoc, nunc illud. Vulnus enim vel partibus carneis & ſanguineis vel nerveis & exſanguibus erit inflictum. Si carneis, ſatis exſudat hinc inde humiditatis : ne dubites *carptum linteum* ſiccum imponere ; ſinon poteſtate ſaltem actu aſtringentis medicamenti fungetur munere : ſi membranaceis, jam ſatis ægre exudabit puris materia, ſiccum *linteum carptum* pauciorem hanc ſupprimet humiditatem teneraſque admodum partes moleſtâ titillatione irritabit, *carptum* igitur *linteum* aquâ aliquâ, v. g. hordei combibitum appones. Unguento aliquo lenienti ſi omnino lubeat, obteges ſingulis diebus renovando, ſed cave ne *linteum carptum* detrahas vulnuſque detegas priuſquam neceſſitas urgens coëgerit : hanc verò cognoſces ex hæmorragia, vehementiori partis inflammatione, retento corpore peregrino, dolore acriori, caloris imbecillitate qui vulneris excrementa depellere non valet, abceſſu, fœtore ex pure collecto vermium aliquando fomite, putredine, gangrenâ ; pruritu denique ſi œger ferre nequeat. Sed quî cooperto vulnere nec linteis exſoluto hæc detexerim ? primò hæmorragia, inflammatio, dolor, fætor, pruritus non latebunt. Num vero latebit corporis peregrini retentio ? jam illud a principio agnitum. Num excrementorum vulneris ſuppreſſio ? ex propulſis & ex vulnerati ſicciori ſeu humidiori temperamento licebit conjectare. Num abſceſſus ? indicabit ea quæ præceſſit inflammatio tumore, dolore, calore febre cognita & quæ ſuppuravit ; ſuppurationis vero ſignum erit perſeverans tumor cum dolore ac pulſu ſine febre : tactu etiam inundans materia percipitur. Num putredo ? facile ſuſpicaberis ex vulnerati temperamento, ex præcedenti victûs ratione, ex qualitate excrementorum vulneris, & ex febre. Gangrenæ ſignum nemini ignotum repentina doloris ſine cauſâ manifeſtâ ceſſatio. Hæc ſi deerint bonumque è vulnere pus emanet, nulluſque aut parvus adſit dolor, partes vicinæ mollitie quadam cùm colore bono, febris abſentiâ gaudeant, cur deli-

gationes ſolvere properas? nonne ut procraſtinetur vulneris curatio quam natura, niſi moleſtaveris, intra unius diei aut bidui ſpatium, ſi vulnus leve ſit, intra ſeptimum ſi gravius, ſi graviſſimum denique per gradus intra vigeſimum diem perficiet.

Tanta eſt hujus methodi præſtantia ut non vulnera ſolum ſed & ulcera benigni moris vulneraque cum ſubſtantiæ jacturâ hoc ſolo remedio iterum atque iterum ſanari contigerit.

V.

NUM igitur ſpernenda quæ tanto cum ſucceſſu adhibent quotidie diverſi generis vulneraria, tum ſimplicia, tum compoſita? minime gentium: eritque ſane peritior is Medicus qui in iis dignoſcendis erit verſatiſſimus; ſed quò tanta interdum ſumptuum jactura,cum remedium ſi non celerius at ſaltem & facilius & ſimplicius & tutius poſſit adhiberi? nam innumera proſtant vulneribus dicata medicamenta ex vegetabilibus, aſtringentibus præſertim, cardiacis, emollientibus ex reſinis, balſamis, therebentinis, gummibus; ex oleo, cera, pice & terris & lapidibus medicamentoſis, adipibus variorum animalium: medicamenta hæc perito medico interdum pro variis circumſtantiis aurea, cum plura ex iis naturæ robur ac quaſi ſanguinis balſamum poſſint & fovere & augere: ſed quoties intra manus imperiti vulneri peſtem inferent ulceraque ſæpe inſanabilia! Olea in carnibus jam humidioribus, balſama ſicciora in exſanguibus & jam vehementer inflammatis num curationem promovebunt? ſi verò ſœpiſſime ſanaverint ea remedia, cum idem contingat medicamentis omnino contrariis, nonne liquido patet ſanationem non medicamentis deberi ſed naturæ quæ invito ac reluctante peſſimo medicamento, ab aëre tamen, hoſte infeſtiore, defenſa curationis opus ſola perfecerit? tanta naturæ in morbis curandis potentia cujus ſe miniſtros gerunt medici peritiſſimi. Sed naturam ſic toti imperitare Médicinæ quidam forſan indignabuntur nec ſe viles ſervos eſſe ſed dominos potentes conclamabunt. Erit faſtidio tot & tam multiplices naturæ greſſus obſervare, pedetentim ſequi, ſe citiùs ſe multo præſtantiùs morborum curationem perfecturos, ſi ſtrato ſibi ſyſtemate neglectiſque naturæ ſemitis naturam ipſam compellant, jactitabunt; non tantis egere medicum diſciplinis, omnia intra anguſtos ſtricti & laxi, inflammationis & obſtructionis limites contineri. Sic illorum medicina Hippocratis Medicinæ multum præſtabit. Ita fari, ita ratiocinari liceat. Sed non inde minus certum manebit Naturæ imperium, quamvis iſti non agnoſcant: ipſaque, iis renuentibus nec prævidentibus, dum curabunt, ſanabit; medicamenta, ſi per eam licuerit, proficient; ſin, hunc è medio tollent, dum illum, jubente eâdem, vitæ reſtituerint. Nec toties Naturam novercam incuſa cujus tibi retundendus impetus. Naturam

pro morbo accipis : hic tibi ſemper repellendus eſt, illa ſemper adjuvanda. Quantò nobilior, quantò certior, quantò pene divinior ſub hoc naturæ imperantis reſpectu Medicina ! Jam naturæ leges ipſius ſunt leges Dei. Quanta Supremi numinis, tanta ipſius naturæ legum conſtantia, quæ ab ipſo tantum poſſunt immutari; medicus vero ſi variis ſe conjecturis fluctuare conqueratur, non jam artem incuſet firmiſſimis nec varietati obnoxiis innixam fundamentis, ſed ſuam ipſius inſcitiam, arctas humani ingenii anguſtias, quæ ipſum omnes ſimul amplecti circumſtantias prohibent, nec ſe tamen aliquem certitudinis gradum adipiſci deſperet. Ars longa, ſed quæ aſſidua & ſignorum & curationum obſervatione poſſit evinci. Prudentis eſt medici præterita revelare, præſentem ægroti ſtatum, veram ac propriam morbi ſpeciem certò dignoſcere, futurum eventum prædicere : periti eſt medici adeo naturæ auxilia diverſi generis, in promptu habere, ut ſemel cognitâ morbi cauſâ, vel remediis inexpugnabilem pronuntiet, vel ſimpliciſſimâ interdum, innocuâ naturæque omnino accommodâ methodo, ſtato ac prædicto tempore, ſanationem afferat. Hic redivivus Hippocrates, hic verus medicus. Unde fas ſit concludere.

Ergo vulneribus unicum linteum carptum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Jacobus GOURLEZ DE LA MOTTE.

M. Simon-Antonius BRINGAUD.

M. Claudius-Joſephus GENTIL, *Militarium Noſocomiorum ad Regis exercitum Medicus.*

M Edmundus-Thomas MOREAU.

M. Ludovicus-Petrus-Felix-Renatus LE THIEULLIER, *ſaluberrimæ Facultatis Decanus, Regis Conſiliarius & in Majori Conſilio, necnon in magnâ Regiæ Domûs & Franciæ Præfecturâ Medicus ordinarius.*

M. Petrus-Ludovicus-Maria MALOET.

M. Anna-Claudius DORIGNY.

M. Ludovic.-Joannes-Baptiſta COSNIER.

M. Petrus-Auguſtinus ADET.

Proponebat Pariſiis CAROLUS-JACOBUS SAILLANT, Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Auctor, A. R. S. H. 1772. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Typographi. 1772.